

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBVS.

Tit. VIII.

*De ludis Olympicis. Pietatem excusare à crimine. Ementiri habitum
cum iniuria aliena, falsi crimen esse.*

CAP. I.



OLYMPICI ludi ab Hercule Idæo inuenti sunt, & quinquē-
nales apud Eleos instituti, quod fratres totidem essent, Her-
cules, Pæoneus, Epimedes, Ida & Iasius. His ludis sic suo iu-
re præerant Elci, vt si interdum acciderit, Arcades, aut alios
quosdam præfuisse, aut ius dixisse in Olympicis: eas in sa-
ctos non referrent, sed Anolympiadas appellarent, hoc est, illegitimas atque
irritas Olympiadas. Itaque Elei sic curabant Olympia, vt Delphi, Pythia:
Corinthi, Isthmia: Argiui, Nemea certamina. Cæterum victoribus propo-
sitæ erant coronæ ex oleastro, vt in Delphicis, laurus: in Isthmiis, pinum:
in Pythiis, poma: in Nemeis, apium: vtque perpetuæ memoriæ causa no-
mina eorum qui vicissent, in Olympico gymnasio scriberentur, atque iis
statuæ erigerentur ad congruam & exactam proportionem corporis. Hinc
Xerxes, cum audisset Græcos ob oleastrum tot sudores impendere: Quo
animo (inquit) pugnabunt pro libertate? Ad hos ludos, & ad victorem re-
nunciandum multa erant præscripta legibus, quorum (vt Plutarchus ait)
Iphitus ac Lycurgus fuere auctores. Hæc celeberrima in primis, vt dum
ludi agerentur, inter omnes Græcos pax, induciæve essent. Deinde, pro nu-
mero Curiarum iudices sorte eligebantur, quos Hellenodicas appellabant.
Hi verbis conceptis iurabant publicè ad aram Hortij Iouis, seu de athleticis,
seu de cursu equorum pronuntiaturi essent, se ob rem iudicandam nihil
quicquam accepturos: tum, qua re adducti hunc, illumve approbassent vel
improbassent, palam non enunciuros. Præterea, per decem menses mo-
rabantur in Hellenodico foro, quæsituri de toto isto iure agonico, num
vitio aliquo leges Olympicæ violarentur. Athletæ quidem ipsi iureiuran-
do confirmabant, priusquam admitterentur ac committerentur, se decem
integros menses in ludicram exercitationem propofiti certaminis consump-
sisse. Parentes, fratres athletarum, gymnasij magistri: nihil fraudis, nihil
machinationis allaturos, quod minùs Olympici ludi ritè atque ordine pera-
gerentur. Tunc demum athletæ, solenni precatione, sortito, atque ex vna
educatis literis aut calculis, nudi inuicem componebantur. Neque enim le-
ge permissum erat, sibi aduersariam assumere: neque adeò ipsum decer-
tandi genus eligere, aut ludè, aut cursu, aut pancratiò. Quæ athletas præ-
clara committendi ratio est apud Lucianum in Hermotimo: Iudicibus ip-
sis equos immittere non licebat, ne sibi mutuis suffragiis gratificarentur.
Fæminis quoque his ludis interdictum erat, aut certè quidem ultra mæ-

